



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Pusice opiscum Saporis præfecto, & filia eius & Azade martyribus.
Capvt X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

de pietate, & testimonijs ex sacris literis depromptis confirmat ita mori, esse verè viuere, atque præ ignauia deū prodere, esse verè mori. Eos enim, etiam si nemo ipsis necem afferret, breui morituros: quandoquidem à nemine in hæc lucem edito hic finis vitari potest. Post mortem verò ea, quæ sunt æterna, non eodem modo omnibus euentura, sed singulos velut trutina quadam examinatos, accuratam vitæ antè actæ rationem reddituros, & hos pro rectè factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficijs pœnas sempiternas luituros: denique pro deo velle mori esse in bonis summum, & rem multo beatissimam. Dum ista Symeones dicendo percurreret, & tanquam magister gymnasij præciperet quo modo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbentes, ad necem cupidè gradiebantur. Licitor autem, postquam centum illos interemit, postremo in loco Symeonem obtruncauit, atque Abdechalaam, & Ananiam vnâ: ambos senes, presbyteros ecclesiæ, cuius Symeones erat episcopus, pariter cum illo & comprehensos, & in vincula coniectos.

De Pusice opificum Saporis præfecto, & filia eius & Azade martyribus.

CAPVT X.

Eodem temporis momento Pusices præfectus omnium regis artificum, ibi fortè stans, cum videret Ananiam, cui iam cæcès parabatur, contremiscentem, paulisper, inquit, ò senex, oculos occludito, & bono animo esto. Nâ statim lumen Dei videbis. Vix est hæc locutus, cum cõprehensus est, & ad regem deductus. Atque cum esset se Christianum confessus, quoniam libero ore apud regem pro religione Christiana, & pro martyribus verba fecerat, idcirco quasi aliquid nefas dixisset, dabatur licitoribus mandatum, vt admodum peregrino & crudeli in primis mortis genere afficeretur. Lictores igitur collo eius circa tendinem perforato, illac linguam extrahunt. Porrò autem eius filia virgo, falsò à quibusdam in crimen vocata, comprehenditur, eodemque temporis articulo occiditur. Sequenti anno, eo ipso die, quo memoria passionis Christi recolitur, cum iâ celebris dies festus resurrectionis expectaretur,

exijt

exijt edictum Saporis crudelissimum in vniuersam Persidem, quod iubebat vt omnes, qui se confiterentur Christi anos, morti addicerentur. Quo quidem tempore multitudo Christianorum, quæ ne numerari quidem potest, securi percussa est. Siquidem Magi ex vrbibus & vicis, in quibus latitabant, summa cum diligentia eruerunt. Nonnulli autem sui inducta voluntate, nemine eos ducente, se ipsi ideo indicarunt, ne silentio Christum denegare viderentur.

Ac dum omnes, qui erant Christiani, morte multarentur, plurimi etiam, qui in ipso palatio ætatem egissent, mactati sunt: in quorum numero erat Azades eunuchus regi longè charissimus. Quem cum Saporis interfectum accepisset, incredibilem animo dolorem hausit, hæcque communè cædem sedauit, atque solos religionis nostræ doctores trucidari iussit.

*De Tarbula Simeonis sorore, & eius ac
aliarum duarum martyrio.*

CAP. XI.

PER idem tempus regina in morbum delapsa, Tarbula, soror Simeonis episcopi, sancta virgo, simul cum ancilla idem vitæ genus colente, & sorore eius, quæ post viri mortem abstinuit à nuptijs, & eandem viuendi rationem tenuit, comprehenditur. Causa autem, cur hæ mulieres fuerint comprehensæ, fuit falsa criminatio à Iudæis in eas conficta, quòd videlicet ob mortem Simeonis iratæ, venena reninæ infidiose parassent. Regina verò (solent enim ægrotantes malis ominibus facillè aures accommodare) calumniam veram esse, & maximè quidem, quòd erat à Iudæis obiecta, existimauit. Nam eiusdem erat cum Iudæis opinionis, ad eorum morem vitam instituebat, & veraces illos, sibiq; maximè beneuolos putabat. Magi igitur Tarbulam & reliquas duas arreptas, morte condemnant. Ac cum serra dissectas patibulis suffixissent, effecerunt, vti regina spatium inter patibula intermissum transfiret, perinde quasi morbus eo pacto depelleretur. Fertur hæc Tarbulam forma valde liberali & honesta fuisse, Magum quendam eam deperisse, mercedemq; vti cum illa rem haberet, clam misisse: promississe

E iii deniq;